

possit, cū prorogandi nulla sit occasio, & si prorogetur, electio ad Superiorem deuoluatur, si post terminum trium mensium conuenierint, statim fiat electio. Quo pacto intellectum statutum, validum est, & cōforme huic privilegio, quod conceditur ad commoditatem eorum, qui de longinquo venire debent.

§. IV.

14 **C**oncedit, quòd Prouinciales statim electi administrationem habeant, & licet idem dicat de Correctoribus, cum tamen addat, quòd electi secundum statuta Ordinis administrationem habeant, & Correctores secundum statuta Ordinis non statim electi, sed post publicationem, & confirmationem in Capitulo definitorio administrant, de Correctoribus non debet intelligi, quia hi secundum statuta Ordinis non habent statim electi administrationem. Nisi velimus hoc privilegium intelligere de Correctoribus Romanis, nimirum SS. Trinitatis, S. Andreae, & S. Francisci de Paula, qui statim electi, ante confirmationem habent administrationem. Et in vniuersum potest intelligi de omnibus Correctoribus, qui subsunt immediatè P. Generali, nec subiacent definitorio alicuius Prouinciae.

§. V.

15 **N**oto 1. quòd cap. 1. 2. & 3. de Magistris supponitur, quòd nullus possit alios docere theologiam, vel scripturam, & c. absque Ordinarij, seu studiorum Rectoris licentia. Quòd etiam decernit Trid. sess. 5. de reform. cap. 1. Hic Pontifex concedit, vt in nostris Conuentibus possint Generales, & Prouinciales Lectores instituire qui absque cuiusquam alterius licentia doceant suos discipulos in theologica facultate; quod etiam concedit Trid. loc. cit. & fuit declaratum à facta Congregatione, vt refert Naldus in sum. verbo Legere, num. 6. Excipit tamen Pontifex duos casus. 1. est, si debeant legere in studijs generalibus, seu in publicis vniuersitatibus. 2. Si debeant legere in illis studijs, in quibus non legunt nisi Magistri solemniter gradu Doctoratus insigniti, nam in istis casibus vtrà licentiam Superioris, requiritur etiam licentia Ordinarij, seu studiorum Rectoris; Quòd etiam insinuat Trid. loco cit. sine ibi, *Quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur, quasi dicat, Licet Lectores regulares dum in claustris Regularium legunt, non debeant ab Ordinarijs examinari, & approbari, si tamen extrà claustra in studijs publicis exercit ad legendum, approbandi sunt.*

16 **N**oto 2. quòd Trid. loco cit. statuit, vt in Ecclesijs Monachorum, vbi commodè fieri queat, lectio sacrae scripturae habeatur, qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc vt Sedes Apostolica delegati eos ad id opportunis remedijs compellant. In Conuentibus vero aliorum Regularium, in quibus iudicia commodè vigere possunt, sacrae scripturae lectio similiter habeatur, *Quae lectio in Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus Magistris. Satisfit autem huic decreto, si habeatur in Monasterio lectio theologiae scholasticae, vel moralis, quae confessionibus audiendis deferretur, vt ait Rodriq. tom. 2. quaest. regul. q. 13. artic. 2. Qui etiam notat, quòd sicut Episcopi possunt*

Abbates negligentes remedijs opportunis compellere, ita similiter possunt compellere ceteros Regulares.

17 **S**i quæras, quæ sint ista remedia opportuna, quibus dicti compelli possunt ab Episcopis.

18 **R**odriq. quòd remedium opportunum est excommunicatio; cum enim Episcopi deputentur à Concilio tamquam Sedes Apostolicæ delegati, & Legati possint exercere omnia in sua Prouincia, quae potest esse, qui misit eos, præter specialiter reseruatam, & certum sit, quòd Pontifex, cuius delegati sunt Episcopi, in hoc casu potest Regulares excommunicare, certum etiam est, posse Episcopos dictos Regulares ad obseruantiam huius statuti excommunicatione compellere.

18 **E**t aduerte etiam, quòd quando Episcopus procedit tamquam delegatus Sedes Apostolicæ in causis, quæ sub eius iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, non potest ab eo appellari, nisi ad Sedem Apostolicam; at quando iurisdictione delegata cumulat cum ordinaria, Episcopus non potest huiusmodi delegationis prætextu declinare iurisdictionem Metropolitanam in casibus illis, in quibus ante Concilij ordinationem Metropolitanus poterat vt eodem iure, eademque potestate. Ità dicitur declarasse sacra Congregationem. Et si vis scire, in quibus casibus possint Episcopi per Concilium Trid. procedere tamquam delegati Sedes Apostolicæ, consule Azor. p. 2. instit. moral. cap. 54. per totum.

19 **N**oto 3. quòd Paulus V. gloriosa memoriae in sua constit. quæ incipit, Apostolica, quæ est 65. apud Cherub. in eo, tom. 3. bull. pag. 254. statuit, vt in cuiuscumque Ordinis, & Instituti Regularium, tam Mendicantium, quam non Mendicantium studijs omnibus, trium linguarum, Hebraicæ scilicet, Graecæ, & Latinae, in celebrioribus vero etiam Arabicæ Doctores, Regulares quidem eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sui minus seculares, & diligenter doceant, habeantur, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, &c. Omnibus Regularium Superioribus sub pena indignationis suae, & si ipsi negligentes fuerint, Protectoribus Ordinum iniungens, vt prouideant, quòd ista studia instituantur, &c. Et in promotione ad Doctoratum, & alios sui Ordinis honores, illicetis paribus, praefertantur qui in cognitione dictarum trium linguarum profecerint, ita vt ad illas docendas apti sint. Congruit Clem. 1. de Magistris. Quæ sancta constitutio mitior, quo modo in Ordine nostro non sit executioni mandata.

20 **N**oto 4. pro Doctoribus, quòd die 21. Maij anno 1625. in generali Congregatione sancta Romanae, & vniuersalis inquisitionis, habita in palatio Apostolico apud S. Petrum coram S. D. N. Urbano VIII. ac Illustriss. Cardinalibus in vniuersa Christiana Republica Inquisitoribus generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, factum est decretum tenoris sequentis. *Cum alias sel. rec. Paulus Papa V. decretum in generali Congregatione S. R. & vniuersalis inquisitionis eisdem tenoris sequentis, videlicet S. D. N. decreuit, vt scriberetur Nuncijs Apostolicis, quòd notificent, & ordinent Superioribus Religioſum, vniuersitatibus studiorum, & Ordinarijs locorum suae nunciaturae, ne fiant imprimi in materia de auxilijs, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo, & qui volunt de hac materia scribere, & imprimere, prius mittant tractatus, & compositiones ad hanc sanctae inquisitionem.*

Pre.

Frid.

Naldus

Rodriq.

Rodriq.

Azor.

Cherub.